

Z V Y D - H O L L A N D I A .

*Nomina
arcium.*

Nomina Arcium, ac Illustrium domorum, quae in Zuydhollandia etiamnum superiunt, vel destructa periere:

Meruwede, Crajesteyn, Riede, Almsteyn, Werckendam, Dussen, Besoeyen, Puttesteyn, Meedervoort, Nederhoven, Heer Iansdam, Develsteyn, Boucquet, Woude, Donck, Iselmonde, Souburgh, Ghieslenburgh.

Cænobia.

Cænobia Zuyd-hollandiae, Heysterbach, Eemsteyn, Onselieve Vrouwe ten Donck, Cathusers five Chartroyfen, sub Geertrudisbergæ territorio. At horum nomina solummodo reliqua nobis fecit temporum injuria.

Peculiares supradictorum locorum descriptiones vide in Descriptione Zuydhollandiae Belgico sermone edita per Iacobum vander Eyck, anno 1628.

Durdrechtum.

Nos relictis pagis urbium præcipuarum laudes prosequamur. Eminent inter illas Durdrechtum, de cuius etymo alii aliter iudicant. At *Trecht* trajectum significat, uti videre est in *Maestricht, Vtrecht, Swyndrecht, Papendrecht: Dortia* aut *Dort* flumen fluit urbem hanc alluens, ut Durdrechtum sit quasi *Dortia* fluminis trajectus. Hinc & nomen pago fuit *Dortmunda*, quasi *Dortæ os* dicas. Iam flumen illud *Mosa* absorptum disparuit. Vrbs situ maxime opportuno jacet, & ad commercia idonea, ob fluminum *Mosæ, Vahalis, Lingæ & Mervæ* concursum. forma illi oblonga ad modum trimemis. nec tam mœnibus aut vallo, quam situ & loci natura firma. Vix alia urbs tota *Hollandia* magnifica magis, & *Agrippinensium* fere æmula habet ædificia, quæ verticibus altissimis affurgunt. *Stapulæ* jus sibi vendicat, id est privilegium sistendi & ab instituto cursu retrahendi merces exoticas, quas negotiator importat, ut nimirum eo loco stabulentur & conquiescant, quo venum prostituuntur, quavis tandem conditione, nisi damnosam venditionem causatus, vel meliorem aliunde lucri auram olfaciens institor, vectorve, malit recurrere, unde venerat, vel ubi ipse domicilium habet; quod illi licet etiam, non soluto stato portorio: venditas autem non nisi oppidanorum navibus alio traducere licet. Huic soli inter *Australis Hollandiæ* urbes datum Principis monetam cudere, auream argenteamque: deinde ut isthic *Hollandiæ* Comitum inauguratio fiat, nec alibi solenni Sacramento adigantur in mutuam fidem cum Principes, tum Ordines: Urbis regimen, à cæteris *Hollandiæ* urbibus plurimum diversum, ita se habet: Univerſæ urbis cura est penes *Scultetum, Consulem* five civium magistrum, *Scabinos, Senatores, Ex-senatores*, (vulgo *Oud Raden*) & octoviros, quos ipsi vocant *goede Luyden van achte*. *Scultetus*, qui Principem repræsentat, à *Gubernatore Hollandiæ* eligitur ex tribus à *Senatu* denominatis. *Consul*, qui hic unicuique tantum, ter quotannis eligitur ab *Ex-Senatoribus* (quorum ipsorum unum esse necesse est) & octo-viris à *pratore* ad id citatis & juratis. Si vero octo-viri omnes suffragiis

in unum conveniant, VIII illorum pro XII computantur. *Scabini & Senatores* sunt, qui quotidie jus dicunt. *Scabini* nimirum novem, & *Senatores* quinque. Eorum dimidia pars quotannis mutatur, nimirum uno anno quatuor *Scabini & Senatores* tres, altero quinque *Scabini & duo Senatores*. Nominantur autem duplo numero à XL viris. Ii sunt omnes illi, qui *Magistratu* funguntur, & qui à *Magistratu* fungentibus, è cæteris civibus ad justum numerum subleguntur, quorum XL virorum nullæ aliæ partes sunt, quam semel quotannis *Scabinos & Senatores* nominare, aut iterum, si quis intermedio tempore vita functus fuerit, alium in demortui locum surrogare: è duplo porro numero à XL viris nominato, *Præfectus Hollandiæ* singularem numerum eligit: *Scabini* denique & *Senatores* ita electi munus suum auspicantur pridie festo S. Michaelis, & munere suo per biennium defuncti, deinceps pro *Ex-Senatoribus* habentur, quorum numerus incertus est. Octo-viri communium, five plebis vicem obeunt. ii quotannis à *Gildarum*, ut vocant, præfectis, five *decurionibus* artificum mechanicorum, triplo numero nominantur, nimirum è quatuor urbis regionibus seni: è quibus dein à *Præfecto Hollandiæ* octo eliguntur: qui festo S. Simonis & *Iudæ* munus suum auspicantur.

Terminat *Zuyd-hollandiam* versus *Austrum*: ultra eas aquas, quas *Biesbos* vocant, *Geertrudisbergæ*, in sinistra *Mervæ* ripa situm oppidum, piscatu nobile: ubi tanta, tamque felix est *clupearum* captura, *Martio* ferme mense, ut die uno supra decem & octo alolarum millia retibus & *sagenis* capta in censum piscatorum relata tradatur. Neque infelix est in iisdem aquis piscatio salmonum & accipenserum. De hujus oppidi dominio magna fuit majorum nostrorum temporibus controversia, *Hollandis* hinc, illinc *Brabantis* illud sibi vendicantibus, ob situm oportunitatem. eoque res processit, ut *Hollandiæ* Ordines solenni sacramento Principes suos adegerint, ad illius retentionem, contra *Brabanti* ad recuperationem. Paret *Arausino* Principi, qui oppidum ab hostibus dolo interceptum, & postliminio singulari virtute recuperatum, operibus, propugnaculis, fossisque ita communivit, ut hodie inter inexpugnabiles urbes merito censeatur.

Geertrudisbergæ.

Versus Septentrionem ultra *Leccam* *Schoonborvia* est, felice quoque salmonum captura nobilitatum. creditur è *Neoporti* oppidi, quod in adversa ripa stetit, ruinis crevisse: perlabitur oppidum elix ex *Isala* derivatus: itaque magna illi commoditas ex amnibus, altero præterfluente, altero medium perlabente.

Schoonborvia.

Gorichemum agrum *Alblassium* versus *Ortum* terminat, oppidum copiosum & opulentum, à *Iohanne*, ex *Arculanis* regulis, ejus nominis septimo, muris circumdatum: qui & arcem cultissimam, munitissimam & elegantis structuræ

Gorichemum.